

ANGELVS DE BRVNSVICO CONCIONATOR  
Moguntinensis.



Angelus Saxo Brunsuici natus & educatus est. Hic sese studiorum causa Erdfordiam contulit, atque diligentem operam literis nauans breui in uirum doctissimum euasit. Erat enim philosophus & Theologus clarissimus. Is post Magisterij gradum sese Moguntiam recepit, atque ob uitæ integritatem & eruditionem breui omnibus doctis ibidem innotuit. Itaq; in cathedrali Ecclesia concionator effectus est. Hanc functionem mirabili facundia aliquandiu optimè peregit, atque à populo magnam laudem obtinuit. scripsit is in Canonem Missæ, atque uarias quæstiones & sermones. Tandem Argentinam profectus ibidem moritur in monasterio pœnitentium sepultus. Anno millesimo quadringentesimo octuagesimo primo. Trit.